sternuntur. Cum autem fridricus cape-
retur, per tres annos cum dimidio in
vinculis detinebatur, et ludowicus
solus, cum gloriose triumphasset, pro
rege habebatur. Fridricus, de vinculis
postremo liberatus, iterum scripsit se
regem, sed paucis annis supervixit,
quia fuit intoxicatus et deinde
a pediculis devoratus obiit. Eo tempore
cum fridricus adhuc viveret, post ip-
sius capturam, iohannes papa XXII
ludowicum coram se citavit volens
cognoscere de sua electione, si rite
fuisset facta, necne. Ludowicus defen-
dens se, quod propter inimicitias
capitales comparere non posset, cum
bis et tertio citatus non compareret,
fuit excommunicatus ab eodem pa-
pa, manente tunc in avinione. Mcc
XXVII ludowicus sentiens sibi papam
iohannem contrarium anno regni sui
decimo tertio longobardiam intravit
et in romam veniens in ecclesia seu
templo sancti petri apostoli per quen-
dam famosum episcopum, consentienti-
bus romanis, in imperatorem consecratus est. Et quia prefatus papa
iohannes manens in avinione noluit
venire romam, idcirco ludowicus
imperator